

hac æstate dari poterit. Hyeme aliquando hieram, & aloen simplicem exhiberem, vt continuo euacuetur & diuertatur, & omnia simul confortabunt ventriculum, diacatholicon propter rhabarbara & hiera atq; aloë astringendo & exiccando: nam hiera facta est pro stomacho. In his igitur perseuerarem, quibus si curabitur, bene est: si non, deuenirem ad fortiora. Cauteria in cruribus maximè laudo: diuertunt vapores ascendentes à membris naturalibus. Si morbus essentialiter esset in capite, meliora forent in brachiis, quia plus à capite euacuarent. Et noui quendam ab epilepsia solis cauteriis curatum, neque vlla alia re. Missio sanguinis nunc dimitti potest in hoc corpore bilioso, & in his caloribus. Vidi enim ante paucos dies bilem furere in quadam magnifica domina post missum sanguinem. Euacuetur itaq; nunc paulatim, & fiant cauteria, vt dictum est: quæ melius est fieri in æstate, dum humores magis fluidi & colliquati sunt. Hyeme non ita fluunt. Quòd autem ad remedia vltiora, decoctum ligni magis laudarem, quàm aliquod genus balneorum, quia thermæ calefaciunt hepar: quod non minus curandum est, quàm ipse stomachus. Lignum etiam quoq; calidum & siccum est, tamè ita alterari potest, vt remotis qualitatibus primis, tantum operentur secundæ. Hanc enim ob causam componuntur medicinæ, vt inquit Auerroes 3. Colliget. Tolletur caliditas, si decoquantur in aqua endiuia, adeò vt etiam febricitantibus exhiberi possit, & tamen remanebit virtus secunda, roborabit ventriculum, & exiccabit totum corpus. Credo tamen, quòd aqua thermarum quoque non esset inconueniens, si tempus pateretur, & tueretur hepar, & daretur cum debitis conditionibus. Nunc verò tempus non est idoneum, poterit tamen bibere, si videtur necessarium, sub Septembrè. Interea duo fierent, haberet familiaria, & in quotidiano vsu aliqua, quæ continuo euacuarent, & diuerterent. Fierent cauteria in cruribus, ac teneret optimam rationem victus, quæ nota est. Quibus si liberabitur, vt speramus, bene est: sin minus, erit de maioribus cogitandum, ac vel ligni decoctum, vel thermæ exhibendæ.

CONSILIVM XXXVI.

De vertigine & paralyti diminuta, pro Doctore Veneto causidico.



As vs recitante Frisimelica: Conqueritur excellentissimus vir, quòd passus sit, & adhuc ex parte patitur vertigines: quæ si perdurabunt, apoplexiam facient. Antè aliquot annos discessit ex patria sua Foro Iulio, vbi versatus est in legibus, petiit Venetias, vt ibi causas ageret. Antè vndecim menses, cum cœnatus esset lautè, cum sociis ad aliquot horas naui circumuectus, domum rediit, & dormiuit: manè postea apparuit tumor, & dolor circa genu sinistrum, quem Medici suppurarunt, & vlcere facto curarunt. Cùm per triginta dies ita stetit, postea iterum subeundo magnos labores in causis dicendis, & per plures horas noctis circa vrbe[m] vectus, deuenit ad aliquot de-

A fluxus falsos & amaros, post quos vlcera in ore apparuerunt. Medici multa exhibuerunt, raro tamen dederunt caputpurgia, imò semel loto capite peius habere visus est. Venit tandem ad ingentes vertigines, durantes per quinque aut sex horas, ita vt casurus esset: & huiusmodi vertigines frequentes sunt, & crebrò redeunt. Superuenit tandem stupor, seu paralytis in brachio & pede dextro, quæ satis molesta fuit. Catarrhus quoque descendit ei in os, qui apparebat tanquam glacies. Adhibita multa cura, & cùm ab agendis causis desisteret, tandem visus est opera Medicorum melius habere. Querit modò, an denuò possit subire labores, & qua ratione? An verò quiescendum, & quæ ratio victus sit ei vsurpanda.

MONTANVS.

Suppositis symptomatibus, quibus iste excellentissimus Doctor molestat, quoniam fuerunt iam explicata, venio ad id, quod principaliter iste querit à nobis: querit enim curationem. Iste est scopus & causa cur deductus fuit ad nos. Volumus ergo curare excellentissimum virum. quid agendum? Primò debemus cognoscere causas suæ ægritudinis, quibus cognitis facillè remedia administrabuntur à nobis. Vt autem eæ causæ cognoscantur, debemus primò scire, quòd causæ morbum facientes, aut sunt intrinsecæ, aut extrinsecæ, aut ambæ. Intrinsecæ dicuntur illæ, quæ proueniunt à causa intrinseca, vt à mala temperatura membrorū, aut ab eorundem debilitate, vnde sequuntur effectus, ad quos naturaliter sunt inclinati, videlicet ægritudines. Extrinsecæ autè sunt illæ sex res non naturales, aer, cibus & potus, quæ in hoc corpore plurimum faciunt. Quin iudicamus membra malè affecta per operationes deteriores. Hic autem videtur bene facere officium suū, nisi intrinsecæ causæ lædant, &c. Videamus à quibus causis depèdeat morbus excellentiss. Doctoris. Discurrendo primò p intrinsecas, videnda est temperatura membrorum principalium, & primò hepatis. Video hominem satis carnosum esse, & habetem corpus ferè quadratum, ac bonum colorem, & vt ipse refert, passus fuit fluxum hæmorrhoidum. Ex his iudico hepar ipsius esse temperatum: non dico temperatum temperatura illa æquali, sed accedit maximè ad illam temperaturam: verum si declinat, declinat per calidum aliquo pacto. Declaratur, quia video hominem habere colorem nigrū: similiter pilos nigros, & reliqua quæ attestantur super caliditate hepatis adurente & exiccante, verum ista discrasia per calidum non est magna. Abundat sanguine, & ita vt etiam per hæmorrhoides fluat. Est igitur sanguis calidior, & multus, ita vt non solum ad nutrimentum, sed expulsionem etiam illam sufficiat.

Accedamus ad ventriculum, qui ne hodie quidem habet impedimentum: conficit enim alimenta, & bene concoquit, nec audio eum pati aliquos dolores in ipso, breuiter exercet rectissimè suas operationes. Et quia ab operationibus cognoscuntur potissimè discrasia[m] membri, ideò teneo ventriculum esse bene dispositū, & rectè se

Lignum
magis
laudat
quam
Balnæ